



# LEKTION

## IM LABOR DER MODERNE: OVID, METAMORPHOSEN II

• TEXTE ZUR VORLESUNG •  
28. JULI 2022

PROF. DR. JÜRGEN PAUL SCHWINDT  
UNIVERSITÄT HEIDELBERG



## PYGMALION

### I. *Ov. met.* 10, 238-297

(P. Ovidi Nasonis *Metamorphoses* recognovit brevique adnotatione critica instruxit R.J. TARRANT, Oxford 2004)

‘Sunt tamen obscenae Venerem Propoetides ausae esse negare deam; pro quo sua numinis ira corpora cum forma primae uulgasse feruntur;	240
utque pudor cessit sanguisque induruit oris, in rigidum paruo silicem discrimine uersae. ‘Quas quia Pygmalion aeuum per crimen agentes uiderat, offensus uitiis quae plurima menti femineae natura dedit, sine coniuge caelebs uiuebat thalamique diu consorte carebat. interea niueum mira feliciter arte sculpsit ebur formamque dedit, qua femina nasci nulla potest, operisque sui concepit amorem. uirginis est uerae facies, quam uiuere credas	245
et, si non obstet reuerentia, uelle moueri; ars adeo latet arte sua. miratur et haurit pectore Pygmalion simulati corporis ignes. saepe manus operi temptantes admouet, an sit corpus an illud ebur, nec adhuc ebur esse fatetur,	250
[oscula dat reddique putat loquiturque tenetque] sed credit tactis digitos insidere membris et metuit pressos ueniat ne liuor in artus. et modo blanditias adhibet, modo grata puellis munera fert illi, conchas teretesque lapillos	255
et paruas uolucres et flores mille colorum liliaque pictasque pilas et ab arbore lapsas Heliadum lacrimas. ornat quoque uestibus artus; dat digitis gemmas, dat longa monilia collo, aure leues baccae, redimicula pectore pendent.	260
cuncta decent; nec nuda minus formosa uidetur. conlocat hanc stratis concha Sidonide tinctis appellatque tori sociam acclinataque colla mollibus in plumis tamquam sensura reponit.	265
‘Festa dies Veneris tota celeberrima Cypro uenerat, et pandis inductae cornibus aurum conliderant ictae niuea ceruice iuuencae, turaque fumabant, cum munere functus ad aras constitit et timide “si, di, dare cuncta potestis, sit coniunx, opto”, non ausus “eburnea uirgo”	270
	275



dicere Pygmalion “similis mea” dixit “eburnae.”  
sensit, ut ipsa suis aderat Venus aurea festis,  
uota quid illa uelint et, amici numinis omen,  
flamma ter accensa est apicemque per aera duxit.  
ut rediit, simulacra suae petit ille puellae 280  
incumbensque toro dedit oscula; uisa tepere est.  
admouet os iterum, manibus quoque pectora temptat;  
temptatum mollescit ebur positoque rigore  
subsedit digitis ceditque, ut Hymettia sole  
cera remollescit tractataque pollice multas 285  
flectitur in facies ipsoque fit utilis usu.  
dum stupet et dubie gaudet fallique ueretur,  
rursus amans rursusque manu sua uota retractat.  
corpus erat; saliunt temptatae pollice uenae.  
tum uero Paphius plenissima concipit heros 290  
uerba quibus Veneri grates agit, oraque tandem  
ore suo non falsa premit; dataque oscula uirgo  
sensit et erubuit, timidumque ad lumina lumen  
attollens pariter cum caelo uidit amantem.  
coniugio, quod fecit, adest dea, iamque coactis 295  
cornibus in plenum nouiens lunaribus orbem  
illa Paphon genuit, de qua tenet insula nomen.